



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. V. De Absolutione, & Cessatione Suspensionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

actus illorum exercet non solemniter, verbi gratia, canendo Epistolam absque manipulo; tunc enim non censetur canere ex officio, ut communiter Doctores docent; Nec demum concionando etiam cum superpellece; quia hoc non est ita munus Diaconi, ut non possit a laicis exerceri de licentia Episcopi, ut communiter etiam Doctores contra Navar., & Valent.

Notandum tamen hic ex Bonac., Filiuc., Escob., & Suar. disp. 26. quæst. 2., irregularitatem incurri non solum, quando per exercitium Ordinis majoris violatur suspensio perpetua, quæ est proprie censura, sed etiam quando violatur suspensio, quæ est pura pœna, & lata ad tempus determinatum; ut si dicatur, Sis suspensus, donec satisfacias, ex cap. 1. de re iudicata, & de sententia excommunicat. in 6. Ratio ex Suar. est, quia utraque suspensio privat sacro ministerio; & ideo per violationem utriusque irregularitas incurritur. Id tamen intelligendum de suspensione pœnali, quæ in scriptis per modum censure imponitur; non vero de præcepto oretenus factò, ne quis celebret; etiam si illi dicatur, Ego te suspendo a celebratione missæ. Notandum etiam, quod suspensus non denunciatus nominatim irregularitatem non incurrat, si ad petitionem fidelium exerceat actus Ordinis Sacri; tunc enim licite eos exercet, & ideo nullam pœnam incurrit.

¶ VI. Quæritur demum, Sintne validi actus jurisdictionis præstiti a Suspenso?

Respondeo, esse invalidos, nisi adfit error communis, & titulus coloratus, ut alias diximus, supplente tunc Ecclesia defectum jurisdictionis in bonum commune, ex leg. Barbarius. Ita Doct. communiter. Ubi duo notanda sunt; Primum est, Ecclesiam

annullare ea tantum, quæ ab ipsa dependent; Quare suspensus valide celebrabit, cum consecratio non dependeat ab Ecclesia: Contra vero invalide sacramentaliter absolvet, quia ad absolutionem sacramentalem requiritur, præter Ordinem, jurisdictio, quæ ab Ecclesia confertur, & suspensus denegatur; Secundum est, acta per suspensum a jurisdictione, non denunciata nominatim, sicuti etiam acta per excommunicatum toleratum, esse valida, prout annotavimus quæst. 3. art. 5. Quinimmo sic suspensus, aut excommunicatus licite potest actus jurisdictionis exercere, si non se ingerat, sed rogetur: secus vero peccabit mortaliter.

ARTICULUS V.

De Absolutione, & Cessatione Suspensionis.

- I. Quando fertur suspensio duratura per mensem, intelligitur mensis, qui tunc temporis labitur. Quid si eo mense, aut anno incidat bissexium?
- II. Suspensio lata per mensem non est censura. Suspensio vero lata, donec satisfeceris, est censura, sed satisfacta parte non indiget nova absolutione; secus vero juxta usum, si quis excommunicetur, donec satisfecerit.
- III. Quandonam possit Episcopus, & Privilegiarii absolvere a suspensione Papa reservata?
- IV. Quis possit universim a Suspensione absolvere? Num possint Parochus, & simplex Confessarius absolvere a Suspensione non reservata, eo modo quo possunt ab excommunicatione non reservata.
- V. Suspensio, quæ sit pura pœna, est reservata instigenti illam. Num possit ab Episcopo relaxari post per-

actam a Reo penitentiam?
 VI. *Quanam sint suspensiones magis ob-*
via in iure lata?

I. **R**ecolenda hic sunt, quæ diximus de absoluteione a censuris in genere.

Quæritur solum primo; Si primo die, verbi gratia, mensis Junii, suspendatur quis per mensem, quandonam cessabit suspensio, post trigintane dies, an post integrum mensem Maji?

Respondeo cum Bonac. punct. 3., Suspensionem statim incipere eodem primo die Maii, quia quod dicitur in cap. 1. *de restitution. Spoliatorum*, quod scilicet dies termini non computetur in termino, intelligitur de iis, quæ non trahunt statim executionem: quia vero censura secum trahit executionem, statim incurritur postquam est lata; Desinit autem trigesimo primo die talis mensis jam completo; quia nomine mensis venit ille, qui tunc labitur, sive habeat triginta, sive vigintiocto dies, ut docet Ugolin. cum aliis Doctoribus: Debet tamen ultimus dies esse completus, ex cap. *Cupientes* §. *Ceterum*. Probabile tamen est, quod idem Bonac. docet cum communiori sententia, videlicet, quod qui per annum est suspensus, satisfaciatur obligationi servando suspensionem per dies tercentum sexaginta quinque; Unde si annus est bissextilis, & primo die Junii inciderit in Suspensionem, liber ab ea sit die trigesimo Maii completo anni sequentis; quia in materia odiosa dies bissextilis rejicitur, ex leg. *Cum hares, de statu liberor.* Unde sequitur, quod qui per mensem suspensus est die primo Februarii anni bissextilis liber sit a suspensione die vigesimo octavo completo, ut docet Henr., Vasq. contra Bartol.

II. Quæritur secundo; Quando quis suspenditur per mensem, vel donec satisfaciatur, cessatne suspensio sine ab-

solutione post mensem elapsum, vel satisfacta parte, an debet suspensus absolvi, ut cesset suspensio?

Respondeo, nos annotasse quæst. 2. art. 1. non esse rigorose censuram, quæ fertur per tempus determinatum, puta per mensem; quia censura cum sit pœna medicinalis, debet reo correcto per absoluteionem cessare; potest autem reus corrigi serius, vel ocyus: Quare suspensio, quæ sic fertur, est pœna vindicativa, & hæc post tempus determinatum elapsum statim sine alia absoluteione cessat. At suspensio, quæ fertur, Donec satisfeceris, est vere censura; satisfacta autem parte statim cessat sine nova absoluteione; sicut potest etiam cessare excommunicatio: hæc autem quamvis sine nova absoluteione cesset, non tamen cessat sine ulla absoluteione, ut explicavimus loc. laud.; confertur quippe absoluteio quando fertur suspensio, seu excommunicatio, at pro quando parti satisfactum est.

Notandum tamen, quod plerumque illa verba, *Sis excommunicatus, donec satisfeceris*, significant, quod excommunicatus non possit absolvi, nisi post satisfactionem, postquam sequi debeat absoluteio: Contra illa alia verba, *Sis suspensus donec satisfeceris*, significare solent, quod post satisfactionem statim sine nova alia absoluteione liber sit a suspensione. Ratio disparitatis ex Bonac. est ipse usus, & praxis recepta; Et quia Iudices inferiores Pontifice majorem facultatem videntur habere circa ferendam suspensionem, & Interdictum, quam circa excommunicationem; unde ad hanc tollendam videtur requiri nova absoluteio.

III. Quæritur tertio; An Episcopi possint absolvere subditos suos a suspensione reservata Papæ?

Respondeo, si ea proveniat ex delicto occulto, & non sit deducta ad

forum contentiosum, Episcopos posse tam per se, quam per suos Vicarios ab ea absolvere, ex Trident. sess. 24. cap. 6. : secus vero non posse. Præter Episcopos possunt alii ex privilegio absolvere, seu dispensare in omni suspensione, sive a jure, sive generaliter lata ab homine; inter quos Patres Societ. a Superioribus deputati, qui possunt a tali censura absolvere, illamque relaxare, & dispensare; Siquidem, ut notat Suar. disp. 29. sect. 3., ipsa relaxatio dici etiam solet absolutio; unde tam censura suspensionis, quæ absolvitur, quam pœna, quæ relaxatur, tolli solet eadem formula, dicendo: Absolvo te a vinculo suspensionis, quod incurristi propter tale crimen, & restituo te ad executionem tui muneris, ac ordinis, & ad beneficium tuum.

IV. Quæritur quarto; Quinam possit universim absolvere a suspensione?

Respondeo, a Suspensione lata ab homine specialiter contra aliquem nominatim non potest absolvere, nisi qui eam tulit, vel ejus Successor, vel Superior, vel Delegatus; aliter perturbaretur Tribunal Judicis illam ferentis: Contra tamen a suspensione lata a jure, sive sit generalis, qua Communitas aliqua suspendatur, sive specialis, qua suspendantur particulares personæ, potest absolvere Ordinarius Suspendi, (vel ejus Vicarius) si non sit reservata, ut patet; si enim Ordinarius Suspendi non posset tollere Suspensionem non reservatam, frustra esset reservatio, quando additur Suspensioni.

Dubium est; An Parochus etiam, & simplex Confessarius, qui non habent in foro externo jurisdictionem, possint pariter ab ea absolvere?

Bona c. disp. 3. punct. 2. concedit; quia Superior statim ac absolutionem non reservat, videtur illam concedere cuilibet Confessario: Additque id

Pars VIII.

verum esse non solum de excommunicatione, sed etiam de aliis censuris; Unde Suar., docet, posse simplicem Confessarium absolvere etiam ab interdicto personali speciali non reservato; quamvis non possit ab interdicto locali, aut generali personali, ad quod requiritur jurisdicção in foro externo.

Communior tamen sententia, quamvis concedat, posse Parochum, & simplicem Confessarium absolvere ab excommunicatione non reservata, negat tamen de Suspensione, & Interdicto, quia, ut notat Laym. hic cap. 4. ex Avil. 3. part. disp. 6., & Henr., Suspendio, & Interdictum non impediunt absolutionem a peccatis, sicut excommunicatio; & hac de causa Parochus, & simplices confessarii habent a jure delegatam facultatem ad absolvendum ab excommunicatione non reservata, ut possint a peccatis absolvere; secus vero a Suspensione, & Interdicto. Notat tamen Laym., quod cui committitur facultas absolvendi a casibus Episcopalibus, delegatur pariter facultas absolvendi a suspensione non reservata; unde communiter Religiosi ex privilegiis suis possunt in foro conscientie ab omni suspensione non reservata absolvere, ut notat Busemb.

V. Quæritur ultimo; An dicenda sit reservata Suspendio, quæ fertur ut pura pœna ad tempus determinatum, puta per triennium, aut quæ fertur in perpetuum?

Respondeo cum Laym. loc. cit., & aliis communiter affirmative: Quare Episcopus non potest talem pœnam a jure latam relaxare, cum non possit inferior in lege Superioris dispensare, nisi in casibus specialiter concessis.

Dubium dumtaxat est apud Doctores; An quando fertur a jure Suspendio sine temporis determinatione,

T

&

& sine expressione, quod in perpetuum duret, possit ab Episcopo absolvi post peractam a Reo poenitentiam?

Negant Abb., & Navar., quia talis Suspendio habet rationem poenae; poena autem absolute lata censetur esse perpetua, & irremissibilis a Iudice inferiore, ex leg. *Servus Cod. de penis*. Sed communius affirmant cum Laym., Avil. 3. part. disp. 6., Suar. disp. 29. sect. 1.; quia talis poena videtur esse imposita, non ut vindictiva, sed ut medicinalis ad tollendam contumaciam; qua sublata possit consequi absolutio; sicut dicitur de omnibus censuris: Praesertim quia si auctor Suspensionis voluisset illam perpetuam, & irremissibilem, id expressisset, ut saepe solet.

VI. Demum qui scire velit; Quanam sint Suspensiones juris communiores? consulat Busemb. de Suspend. dub. 2. Inter eas tamen notatu digna est primo suspensio contra Clericos recipientes Ordines Sacros ab alieno, vel a proprio in aliena Dicecesi, vel sine aetate legitima, aut sine dimissoriis, vel titulo, aut extra tempora, non servatis interstitiis, vel per saltum, vel in censura; qui omnes ab executione Ordinum sunt suspensi. Secundo contra Sodomiam exercentes, simoniacos, provocantes ad duellum, vel acceptantes, contra raptos, vel praebentes ad id auxilium. Tertio contra Visitantes, si accipiant pecuniam, vel munera, usque dum restituant duplum. Quarto contra asserentes etiam in sermonibus, & scripturis privatis, quod Beatissima Virgo fuerit concepta in originali; & contra differentes in alterutram partem de conceptione Beatae Virginis in concione populari, ubi adest virorum, & mulierum multitudo, asserendo propriam sententiam rationibus, & auctoritatibus, & alteram re-

pellendo; Necnon qui praesumit de hac ipsa quaestione vulgari sermone scribere, vel dictare, ex Bulla Pii V. apud Bonac. hic punct. 5. §. 1. Quinto contra Episcopos, & Ordinantes non subditum, aut indignum, aut simoniace; Contra eosdem intrantes monasteria monialium sine necessitate; Contra admittentes resignationem adversus formam praescriptam; & contra delinquentes adversus Clericorum immunitatem; Ac demum in eosdem Episcopos non visitantes limina Apostolorum tempore praescripto a Sixto V.

ARTICULUS VI.

De Depositione, & Degradatione.

- I. *Quid importet Depositio, quid Degradatio? Per priorem privatur Clericus omni officio, ac beneficio, retento solum privilegio fori, & Canonis; Per posteriorem vero etiam hoc privilegio cum quadam solemnitate privatur.*
- II. *In quo differat Suspendio a Depositione, & Degradatione?*
- III. *Degradatio verbalis confunditur cum Depositione; secus vero Realis.*
- IV. *Plura gravia crimina irahunt Depositionem, & plura graviora Degradationem.*
- V. *Depositio, & Degradatio Presbyteri spectat ad Episcopum; Episcopi autem ad Pontificem. Degradatus a solo Pontifice potest in pristinum statum restitui; Depositus vero aliquando etiam ab Episcopo.*

I. **Q**uæritur primo; Quid importent Depositio, ac Degradatio, & in quo differant a Suspensione?

Respondeo, Depositionem esse poenam Ecclesiasticam, non medicina-

lem.